Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

quo sursum imus ad pacem hierusalem. quoniam iocundatus
sum in his qui dixerunt mihi. in domum domini ibimus. Ibi nos collo
cavit voluntas bona. ut nichil velimus aliud. quam
permanere illic in eternum. Beata creatura que non novit
aliud. cum esset ipsa aliud nisi dono tuo. quod superfertur super
omne mutabile. Mox ut facta est attolle[retur] nullo in
tervallo temporis. in ea vocatione qua dixisti. fiat
lux. [et] fieret lux. In nobis enim distinguitur tempore.
quod tenebre fuimus et lux efficimur. in illa vero dictum est.
quod non inluminaretur. et ita dictum est quasi prius fuerit fluxa
et tenebrosa. ut appareret causa qua factum est ut aliter
esset. id est ad lumen indeficiens conversa lux esset. Qui po
test intelligat, a te petat. Ut quid mihi molestus est.
quasi ego inlumine ullum hominem venientem in
hunc mundum. Trinitatem omnipotentem quis intelligit. et
quis non loquitur eam. tamen et si rara anima. quecumque
de illa loquitur scit quod loquitur. Et contendunt et dimi
cant. et nemo sine pace videt istam visionem. Vellem ut
hec tria cogitarent homines in se ipsis. longe aliud
sunt ista tria quam illa trinitas. Sed dico ubi se ex
erceant. et probent. et sentiant quam longe sunt. Dico autem
hec tria. esse. nosse. velle. sum enim et scio. et volo. Sum
sciens et volens. et scio esse me et velle. ut sim et volo
esse et scire. In his igitur tribus quam sit inseparabi
lis vita. et una vita et una mens. et una essen
tia. quam denique inseparabilis distinctio et tamen distinctio vi
deat qui potest. certe coram se est. attendat in se et vi
deat et dicat mihi. Sed cum invenerit in his aliquid
et dixerit. non iam se putet invenisse illud quod supra ista